

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo CC.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SERMO CC.

Textus Philem. v. 22.

XΑειδήσομαι ὑμῖν.
Donabor vobis.

Exordium.

DII. Quoties Israëlitaë mutârunt ac moverunt stationes suas cum Arca fœderis, fecerunt id cum precibus, ut videre est Num. 10: 35, 36. & Psal. 8: 2.

Nos hodie idem facere debemus. Quidquid agimus, quoquò nosmet recipimus, &c. omnia fieri debent cum oratione, Col. 3: 17. Oratio debet esse prora ac puppis cujusvis negotii. Si quid aggredimur, aggrediamur oportet orando: si quid ad finem perducimus, perducamus oportet orando.

Id S. Paulus in hac epistola probè confideravit, precibus incepit, precibus finiit, &c.

Nihilominus tamen licet liberationem sui è carcere adscribat precibus, tanquam causæ instrumentali, tamen eandem agnoscit esse ex gratia, ad eoque liberum donum ac gratuitum beneficium Dei: Utitur enim voce, non *δοθήσομαι*, sed *χαριθήσομαι*; sicque Gratiam Dei causam efficientem liberationis ponit: non dicit, Vos precibus vestris mei liberationem promeruitis; sed: *Donabor vobis per preces vestras*. Ideoque liberationem agnoscit esse donum. Vox hæc *χαριθήσομαι* sensu hoc sæpissimè extat, ut Rom. 8: 32. 1. Cor. 2: 12, 13. Gal. 3: 18. & aliis locis. Ita etiam hoc loco: quasi dicat: Preces vestræ pro me fuscæ sunt efficaces, nec frustraneæ; attamen quòd per easdem liberor, id adscribendum Gratiaë Dei, & si ad vos venero, me meritò accipietis tanquam donum Dei.

Hinc Δ. *Quidquid boni à Deo precibus impetramus, id nobis obtingit ex libera ipsius gratia.*

Nihil promeremur orando, sed ipse gratis donat: nihil acquirimus dignitatis nostræ causâ, sed ex gratuita ipsius misericordia. Sicut mendicus mendicando eleemosynam haud meretur, ita nec nos, imò multò minùs precando meremur eleemosynam Gratiaë Dei. Et si nos mendico quidquam damus, damus non tanquam meritum, sed tanquam gratuitum, & ex misericordia: quantò potiùs cum Deus nobis benefacit, & ad preces nostras nobis opem fert, id haud facit propterea, quòd id ab ipso promeriti sumus orando; sed quia ipse propitiùs nobis est ac misericors, illudque promisit.

Ita Deus ipse sese in hac re manifestavit Ex. 20: 6. in Præcepto II. ubi vitam æternam promittit observantibus mandata sua; & tamen addit, se misericordiam exhibere millenis, &c. adeò ut vita æterna nihilominus sit donum gratuitum, ctiamsi eam nemo consequatur, nisi mandatis Dei operam navet.

Pariter se res habet cum fide, quæ est excellentissimum donum & præcipuum salutis medium, Joh. 3: 16, 36. & tamen fide vitam æternam haud meremur, sed Christus nobis eam meruit, nos fide apprehendimus Christum, & sic vitam æternam, tanquam donum gratuitum accipimus, ut jam indicavimus.

Par ratio est precum. Multas egregias solatiique plenissimas habemus promissiones, & inter alias, quòd si petierimus, sumus accepturi, Matth. 7: 7. Amos 5: 16: *αἰτῆτε* per peces, *ζητῆτε* per meditationem, *κρῆετε* per diligentiam in utroque, quò intrare queatis, &c. non quasi id precando promereamur, nam vide Dan. 9: 7, 8, 9. ubi orat, at simul profiteretur indignitatem, &c.

Eadem ratione allegare possemus omnes reliquas ordinationes: debemus illis operam dare; at cum fecimus, quæ nobis sunt mandata, & Deus tunc nobis benefacit, non debemus acceptum ferre factis nostris, quasi iisdem aliquid meruissimus, sed liberaë Dei gratiaë ac misericordiaë:

Idque Deus ideò facit,

1. Ut nobis omnem gloriandi materiam adimat, prout de Abrahamo extat Rom. 4: 2. Ecce habet quod gloriatur coram hominibus, sed nihil coram Deo. Sic Rom. 3: 27. Quasi dicat, si justificaremur aut ex solis nostris operibus, aut partim ex operibus, partim ex fide, tunc gloria justificationis nostræ aut tota nobis adscribenda foret, aut saltem non tota Deo: at non sic, sed vers. 28. Itaque nihil est cur gloriemur; sed soli Deo omnis debetur gloria. Sic confirmat Eph. 2: 8, 9. 1: 5, 6. Deo deberetur gloria, ut nostræ justificationis, sic totius salutis.

2. Vel optima nostra opera, ipsa quoque oratio, non ita sunt comparata, ut iisdem aliquid à Deo promereri possimus; sed si quid boni nobis ad illa obtingit, gratuitum est. Nòstis quippe, quænam debeant esse conditiones operum meritoriorum:

1. Debent fieri nostris ipsorum viribus, debemus dare de nostro: Atqui 2. Cor. 3: 5. Jac. 1: 17. Quod nostrum est, peccatum est, & eo promeremur Dei iram, non gratiam: sumus pauperes, &c. Apoc. 3: 17. adeò ut Paulus non immeritò 1. Cor. 4: 7. *Quis te discriminat?* Summa, extra Christum nihil possumus, Joh. 15: 5. Phil. 2: 13.

2. Debent esse libera, & procedere ex libero arbitrio, non autem debita: Atqui nostra opera bona sunt debita multis nominibus, Luc. 17: 10. Adam in statu innocentiaë nihil potuisset promereri propriè loquendo: cum enim omnia acceperit à Deo, eidem omnia reddere tenebatur gratitudinis loco pro creatione reliquisque beneficiis: Quid ergo nos? &c.

3. Debent illi, à quo quippiam mereri volumus, aliquid commodi afferre: At nulla bonorum nostrorum operum pertingunt ad

Cgg 3

Deum,

Rationes.

1. Secus haberemus cur gloriaremur.

2. Desunt conditiones veri meriti.

Textus explicatur.

DOCTRINA.
 Quidquid orando acquirimus, ex mera gratia est.

4; 8
Deum, Psal. 16: 2. Nobis quidem ipsis & proximo bene agendo prodesse possumus, sed omnifufficienti Deo nihil dare possumus, quod antea non habuerit. E. Rom. 11: 35, 36.

4. Debent esse perfecta. At eheu! omnia nostra vel optima opera, preces, meditationes, conciones & auditiones, omnia sunt imperfecta, Jes. 64: 6. Rom. 3: 10, 12, 20.

5. Debet esse proportio inter opera & mercedem: si enim remuneratio major est opere, gratuita est, non ex merito. Atqui Apostolus ait Rom. 8: 18. 2. Cor. 4: 17. Ex omnibus istis perspicue videmus, nos nihil à Deo mereri posse, sed omnia bona, quæ adipiscimur orando aliisque mediis, merè gratuita esse.

Itaque, si orando quidquam boni acquirimus, id acceptum feramus diviti bonitati Dei, ipsi gratias agamus, ipsi gloriam tribuamus, ipsum Auctorem atque Scaturiginem omnium agnoscamus. Sanè quidem orandum, quia ipsius voluntas est; at cum nos exaudit, non nobis, sed ipsi omnia debemus attribuere. Sic Josaphat, 2. Chron. 20: 26, 27. Sic Hiskia. Sic David Psal. 65: 1, 2 & 98: 1. & 115: 1.

Neque tamen idèd segnescere debemus in precibus, quia iisdem nihil promeremur; sed potiùs ed alacriùs ac diligentius precari, quia omnia ex gratia, &c. Nuper multis necessitatem frequentis orationis ursumus. Et sanè sapiùs, iterum atque iterum, urgeri operæ precium est: Diabolus nempe, qui infensissimus salutis nostræ existit hostis, omnigenis dolis atque machinationibus utitur, quò nos ab oratione aversos reddat; & si unà nihil proficit, aliam tentat: hìc sæpe objicit:

1. Cupis orare, at numquid nescis, quanta Majestate præditus sit Deus, quàm terribilis? qui ausis ad ipsum accedere?

2. Reminiscere ingentium atque gravium tuorum peccatorum, quæ tam sciens ac prudens, tam perulenter admisisti; & jam quidquam à Deo efflagitare ausis? impudens mihi sis oportet, &c.

3. Adhæc non necesse est: vides, alios haud orare, & tamen habere quidquid volunt; bene cum ipsis agitur, affluunt rerum abundantia, cum tu premaris penuriâ omnium.

4. Deus probè novit, quo egeas; si quid tibi indulgere vult, facere potest absque tuis precibus; non est necesse ut ipsum moneas, non adèd obliviosus est.

Hæc & similia tela vibrat.

5. Quinimò si primo imperu nihil proficit, redit, est impiger. Accingis te ad precandum? objicit tibi tuam inepritudinem, tuam stupiditatem; suggerit, si adèd ineptus sis, preces tuas Deo abominationi fore, &c. prout hìce & consimilibus impedimentis sæpe multum efficit apud homines alioquin à religione remotos, ubi videre est in Saule, 1. Sam. 14: 19. quasi dicat, jam tempus pugnandi est, non precandi.

6. Et ubi malitiosus iste hostis semel victor evadit, id sibi præsidio ducit: intermisisti, (ait) preces hoc & illo tempore, nec tamen propterea luere coactus, non fuit tibi fraudi; quid ergo temer adèd constringes religione, in melancholiam dabis præcipitem omnique orbabis gaudio? Quid tum, licet & nunc intermittas, quando tot tantisque distraheris negotiis?

7. Vides, nec alios id facere, qui & ipsi sunt honesti viri, & ad cælum adspirant æquè ac tu, &c. Ita, inquam, Satanas nos à precibus avocare enitur: novit quippe, quàm potentes sint ad demoliendum ipsius regnum.

Sin hæc ratione nihil proficit, tela sua aliter fabricat, elaborans, ut preces nostras faciat irritas per superbiam atque arrogantiam, ut in illis meritum quoddam quæramus, more Pharisæico, prout sic vicit Pharisæos, Matth. 6: 5, & 23: 14. Luc. 18: 11, 12.

Hæc igitur cum sciamus, ipsi fortiter debemus resistere, seu uno, seu alterto modo nos tentet.

Ad depellendam priorem tentationem, debemus firmiter tenere Dei mandatum, ejusdemque promissionem, Psal. 50: 15. Luc. 22: 40, 46. itemque varia exempla, &c.

Ad expugnandam posteriorem tentationem non debemus oblivisci, omnia nostra bona opera esse imperfecta, omne bonum in nobis esse Dei donum, &c. Hinc Apostolus de seipso & Collaboratoribus 1. Cor. 15: 9, 10. Sic 1. Cor. 3: 7. & 1. Cor. 4: 7. Luc. 17: 10.

In omnibus nostris actionibus, præsertim talibus, qualis oratio est, nosmet demittere, nostram agnoscere indignitatem, Deoque honorem tribuere debemus. Demissa corda sunt Deo gratissima sacrificia, Psal. 51: 19. Jes. 66: 2. Id Daniel observavit in sua oratione, cap. 9: 18. Sic & nos humillimè nostram debemus agnoscere indignitatem, &c. Id verò tunc faciemus, quando omnia dirigemus ad triplicem hunc finem, Dei gloriam, animarum nostrarum salutem, & Ecclesiæ ædificationem.

Et sicut doctrina hæc ed facit, ut Deo soli omnem tribuamus laudem, utpote ex cujus gratia quodvis bonum nobis affluit; ita nos monet, ut omnem propriorum meritorum opinionem deponamus, neque iisdem innitatur veluti Adversarii nostri in Papatu: Nam Rom. 11: 5, 6. Sophisticantur quidem distinguendo inter meritum personæ, & meritum operis: Meritum personæ dicunt esse dignitatem personæ, quâ digna sit vitâ æternâ; hanc dignitatem dicunt esse in infantibus post baptismum decedentibus, qui, licet destituti sint merito operum, sint tamen vitâ digni æternâ. Meritum operum dicunt esse dignitatem operis ipsius, quando opus ita est comparatum, ut vitâ æterna ipsi debeatur ex merito. Opera autem hæc meritoria esse dicunt duabus de causis,

1. Quia Deus ipsis in fœdere mercedem promiserit;

2. Quia

Usus I.
Omnia Deo
accepta, feramus.

Usus II.
Nihil tamen segnitiamus in precibus.

Diabolica
avocamenta à precibus.

Corruptio
precum.

Remedia.

Usus III.
Renunciamus nostris
ipsorum
meritis.

2. Quia Christus merito suo ipsis quoque virtutem merendi acquisiverit.

Nos utrique merito, & personarum & operum, nuncium remittimus. Unicum & verum meritum, per quod gratiam ac salutem expectamus, non nisi in persona & merito Jesu Christi reperire licet, qui gazophylacium est omnis veri meriti.

Obj. Atqui remuneratio promittitur bonis operibus. E. meritoria esse necesse est, cum *merces & meritum* sibi mutuò respondeant.

Resp. Duplex datur *merces*, una ex merito, ex gratia altera, Rom. 4: 4, 5. Quodlibet opus bonum, quantumvis exiguum videatur, si sit ex fide, si ad gloriam Dei, si ad Dei mandatum, remunerationem accipiet: verum remuneratio illa non fit propter dignitatem operis, sed propter veritatem ac misericordiam promittentis. Hinc vita æterna dicitur *hereditas*: filii mortigeri promissionem habent à Patre, se omnia ipsius bona hæreditario jure possessuros post ipsius discessum ex hoc mundo; neque tamen propter obedientiam suam, quasi eâ à Patre suo bona illa mererentur; sed quia Pater id ex amore pollicitus & re ipsa præstiturus est: sufficit nobis, si cœlorum regnum hæreditatis titulo adipiscimur. Non adeò superbi esse volumus, ut nostra ipsorum opera tanti æstimemus, quasi iisdem cœlum à Deo emere possemus.

Isti homines haud agnoscunt imperfectiorem ac nævos operum suorum, neque etiam eorundem necessitatem: non nõrunt seipfos, non nõrunt Deum, neque Dei agnoscunt gratiam: similes sunt Simoni Mago, qui emere volebat dona Spiritus sancti, Act. 8: 18. aut Gentilibus, qui se βασιλολογία sua exauditionem promereri putabant, Matth. 6: 7. aut servis, omnia solius mercedis gratiâ facientibus.

Nos non sic. Novimus infirmitates nostras, conscii nobis sumus nævorum ac defectuum, expetimus cœlum tanquam promissam hæreditatem filiis factam, &c. Non latet nos, voluntatem ac mandatum Dei esse, ut bene agamus, &c. constat quoque, Deum bona opera remuneraturum; at ex gratia, non ex merito, &c.

Denique cum omne bonum ex mera Dei proveniat gratia, E. omne bonum apud ipsum solum quæramus, exemplo filiorum Dei, qui quoties ad Deum confugerunt, indignitatis suæ conscii, semet demiserunt cõfidentes, se indignos esse vel minimis beneficiorum Dei, Gen. 32. Psal. 6: 3, 6. & 63: 3, 4, 5. En nil nisi gratiam petunt; en nil nisi bonitatem Dei obtinent. Sic Psal. 130: 3, 4. Thren. 3: 22. Sic & nos. Desideramus aliquam benedictionem à Deo? petamus ex gratia. Cupimus ut à nobis tremenda avertat judicia? oremus ut ex gratia avertat. Ex divite ipsius gratia habemus quòd sumus, vivimus & movemur, Act. 17.

Nostrum est ipsi pro quibusvis bonis agere gratias. Si ipse nos recipit, parùm refert.

etiamsi mundus nos rejiciat: at si nobis iratus faciem suam avertit, quid juvat, etiamsi totus mundus nos in sinum suum vellet recipere? Complura habemus exempla eorum, qui dejecti fuere suorum consideratione peccatorum, sensu iræ Dei & aversione faciei Dei: licet abundarent opibus, honoribus, amicis, hæc tamen omnia nihil ipsis solatii afferre potuerunt, quamdiu facies Dei ab ipsis abscondita fuit, sicut sol sub nube. At quando Deus faciem suam illustrat, tunc lætantur ossa, quidquid homini alioqui sustinendum. Sic Psal. 46: 7.

Hoc opus! hic labor! Omnes eò elaborate, ut certi fiat favoris ac gratiæ Dei, mediis assidue utimini, perseverate in studio illum retinendi, quò gratia Dei vobiscum sit in vita, nec à vobis recedat in morte, sic certò vos vita manebit æterna.

Δείκναι.

SERMO CCI.

Textus Philem. v. 23, 24, 25.

Ἀσπάζονται σε Επαφράς (ὁ συναίχμαλώς με ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) Μάρκος, Αἰσίππος, Δημᾶς, Λευκᾶς, οἱ συνεργοί μου Ἡ χεῖρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τῷ πνεύματι ὑμῶν Ἀμιῶν.

Salutant te, Epaphras, (meus in captivitate propter Jesum Christum socius:)

Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adjutores mei.

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro, Amen.

Quamquam perditissimi hujus seculi amatores piam ad Deum orationem vel malitiosè negligant, vel saltem non adeò necessariam & efficacem esse judicent, tamen in os eis contradicit Ecclesiasticus, cap. 35: 18, &c. Centena exstant exempla, ex quibus veritas hujus dicti patet. Nobis unum satis est Pauli: Is verus Dei servus fuit, qui Deum bono coluit animo, uti ex omnibus ejus elucescit epistolis: & ipse precibus à Deo quidquid desideravit impetravit; oratio ipsius in cœlum ascendit atque exaudita fuit.

Exordium

Prout ex versu 22. percepimus, quòd & sui liberationem ex carcere precibus adscripserit, non iis quidem tanquam meritoriis, quasi illam precum meritò aut dignitate obrinuerit, sed ex gratia divite per preces.

Jam, postquam Apostolus spem liberationis per preces animo concepisset, eandemque indicasset Philemoni, properat ad Epilogum epistolæ, quem in prælectis habemus,

Conclusio Epistolæ

Con-

Utu: IV.

Omne bonum à Deo petamus.